Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3227
Quelle:
Copyright:

nire non poteram calamum papiro applicui ad incartandum ſubſcriptas conſiderationes &c. Sacerdotum maxime cauſſa agitur hactenus; jam enim *Conſideratione quarta* abrumpitur opuſculum levis momenti. *Arnoldus* ſive *Arnulphus Egmondanus* obiit a. 1473.

XVI. *fol.* 139. *Ad ſacroſanctam generalem Synodum Baſilien. dominica 3.ª poſt octauas paſche ſermo fratris nycolai Jaqueri ordinis fratrum predicatorum.* Incipit: *Veritatis moralis verbum facturus vobis patribus* &c. Oratione tripartita Cardinalibus, dein Praelatis et Paſtoribus, demum Religioſis et Fratribus veritatem magna libertate inculcat e themate adſumto: *Ego ueritatem dico uobis.*

XVII. *fol.* 143. *Sermo fratris nicholai ordinis predicatorum Dominica prima quadrageſime.* In illud: *Ecce nunc tempus acceptabile.* Initium: *Conſideranti mihi quid huic ſanctiſſimo recumbenti cetui dignum miniſtrarem, occurrit ferculum* &c. Uterque hic *Sermo* e *Cod.* noſtro citatur a Bibliothecariis O. P. T. II. p. 823. poſtquam jam T. I. p. 847. de Autore *Burgundo Divionenſi* egiſſent.

XVIII. *fol.* 153. *Sermo de ſacra Religione et quod melius eſt bonum facere ex voto quam ex libera voluntate. Beati bernardini. Senenſis* videlicet ex Ord. Minor. qui a. 1444. deceſſit, jamque a. 1450. a *Nicolao* V. ejusdem Profeſſionis inter *Beatos* relatus eſt: Initium: *Fili tu ſemper mecum es et omnia mea tua ſunt. Luce 15. Ad deſiderabilem charitatem iterum atque iterum* &c. Articulis tribus conſtat, quorum ultimus Dialogo inter *Magiſtrum* et *Diſcipulum* conceptus eſt, et legitur *Opp. omn.* edit. *Lugd.* 1650. T. II. p. 138. habitus *Sabbato poſt II. Dom. Quadrageſimae.*

XIX. *fol.* 185. absque titulo Tractatus de Humilitate, qui incipit: *Pro declaratione materie humilitatis pono aliquas aduertencias. Primo circa hoc quod humilitas generaliter ſumpta ſecundum aliquos non uidetur eſſe aliud quam generalis ſubiectio* &c. Si quid video, referendus eſt ad *Bartholomaeum Carthuſianum*, de quo ſupra N. 12. Id enim et ſtilus et tractationis methodus, et *Petreji* Bibliotheca ibi *cit.* ſuadet, quae Noſtrum *de Humilitate* ſcripſiſſe diſerte exprimit.

XX. *fol.* 199. absque Titulo Tractatus prolixus contra Eſum Carnium in Ordine S. *Benedicti.* E rationibus modo dictis hunc quoque ad *Bartholomaeum Carth.* pertinere arbitror, quamvis in memorata *Bibliotheca De non Eſu carnium apud Ciſtercienſes* ſcripſiſſe dicatur. Init vero: *Perterret me pannoſitas intelligentie mee aggredi opus materie adeo ardue et profunde* &c. Opus V. *Conſiderationibus* abſolvitur; in fine tamen Epiſtola deeſſe videtur, quam ad ſe datam ait Autor; definit enim: *ut clare colligere poteſtis ex copia litere quam michi direxit ſubſcripta. Fol.* 212. p. 2. notavit alia manus: *De eſu carnium non vidi tractatum meliorem et ad intentionem*